Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Quedam circa speram planetarum et celorum declaranda. vj

Distinctio orbium tam celestium quam elementorum

Corporalis mundi machina tota consistit in duobus: scilicet in natura celesti: et in natura elementari. Celestis autem distinguitur in tres celos principales scilicet empireum, cristallinum et firmamentum. Sub firmamento vero quod est celum stellarum continentur septem orbes septem planetarum qui sunt Saturnus Jupiter Mars Sol Venus Mercurius luna. Nomine autem celi cristallini sive aquei intelligitur Prima pars materie prime, que secundum philosophum sorta est in duos orbes, quorum superior est primum mobile. Istorum orbium natura est quod omnes moventur excepto empireo celo, quod quietum est. Natura vero elementalis in quattuor speras principales distinguitur: scilicet ignis, aeris, terre et aque. Spera ignis tria habet intersticia videlicet, supremum quod vocatur igneum, ac medium et infimum quod vocatur olimpium. Aer similiter habet tria intersticia scilicet supremum quod vocatur ethereum, et medium, ac infimum quod dicitur aereum. Et in supremo est calor et lux propter solis propinquitatem. Similiter est et in infimo, sed propter radiorum repercussionem a terra. In medio autem intersticio ad quod non pertingere potest repercussio radiorum est frigiditas et obscuritas in quo dicitur habitare demones, qui detrusi sunt in hunc aerem caliginosum. Ibi etiam fiunt tempestates scilicet tonitrua, grandines nives et similia. Ex his collige duodecim orbes terram et aquam ambientes, qui omnes celi possunt vocari. Istos autem excellit celum trinitatis, ipse deus qui est in omnibus et super omnia. Distancia predictorum orbium et planetarum hec est. A terra usque ad lunam sunt miliaria xv. dc. xxv. miliaria, hec sunt stadia c. xxvj. A luna usque ad mercurium sunt miliaria vij. dccc. xij et semisse. A mercurio usque ad venerem tantum. A venere usque ad solem xxiij. cccc. xxxvj. A sole usque ad martem sunt miliaria xv. dc. xxv. A marte usque ad iovem vij. dccc. xij. A iove usque ad saturnum tantum. A saturno usque ad firmamentum xxiij. cccc. xxxvj. Ex istis sequitur quod a terra usque ad celum stellatum sunt centum et nove milia et ccc lxxv miliaria.

Distinctio celestium Jerarchiarum

De celesti vero natura triplicem quidam posuere distinctionem scilicet supernalem id est supercelestem, celestem et subcelestem. Supercelestis est in tribus personis ut quidam dixerunt et male, quia secundum dyonisium Jerarchia dicit ordinem et ille absolute non est in tribus personis sed tantum ordo nature. Celestis in ordinibus angelicis. Subcelestis in hominibus sanctis. Porro Jerarchia celestis dividitur in superiorem, mediam et inferiorem. Superior continet tres ordines scilicet seraphin et cherubin et thronos. Quorum primi considerant dei bonitatem, secundi virtutem, tercii equitatem. Item in primis deus amat ut charitas, in secundis noscit ut veritas, in terciis sedet ut equitas. Media continet dominaciones principatus, potestates. Quorum primi officia regunt angelorum, sequentes capitibus presunt populorum, ultimi potestatem coercent demonum. Item in primis dominatur ut Maiestas, in sequentibus regit ut principatus, in ultimis tenet ut salus. Inferior Jerarchia similiter continet tres ordines scilicet virtutes, archangelos, angelos. ad quorum priores pertinet miraculorum operacio, ad secundos magnorum negociorum denunciacio, ad tercios humane custodie sollicitudo. Item in primis deus operatur ut virtus. In secundis revelat ut lux. In terciis mittit ut inspirans. Hec dicta sunt secundum Gregorium. Sed secundum dyonisium virtutes sunt medius ordo Jerarchie secunde, principatus primus ordo tercie Jerarchie. Hoc attende quod in qualibet trium Jerarchiarum premissarum notatur trinitas personarum divinarum ut patet in celesti Jerarchia tam superiori quam media quam inferiori.

De tempore sive etatibus

Mundi Etates accipiuntur similitudinarie iuxta etates hominis: sunt autem sex etates mundi. Quarum prima incipit a mundi creacione et durat usque ad diluvium: et habuit secundum hebraicam veritatem annos ~~1556~~ 1656. Secundum lxx interpretes (sic Isidorus exponit) et alios quam plurimos quos hic sequimur habuit annos 2242 et sic differt in annis 586 quos hebrei minus habent in hac etate: et iuxta hunc computum matusale mortuus est ante diluvium: eodem tamen anno quo diluvium fuit.

Secunda etas incipit a diluvio, et durat usque ad nativitatem Abrahe: et habuit secundum hebreos annos 292. secundum lxx. 942. et differunt in annis 650. quos iterum hebrei minus habent. Que autem sit racio tante diversitatis inveniri non potuit. Tercia etas incipit a nativitate abrahe, et durat usque ad inicium regni David habens secundum hebreos annos 941 secundum septuaginta 940. Quarta etas incipit a principio regni David et durat usque ad transmigracionem babilonis et habet annos 485 secundum hebreos secundum lxx 485. Quinta etas incipit a transmigracione babilonis in qua Iherusalem destructa fuit: et templum in ea incensum: et duravit usque ad beatam nativitatem Christi habens annos secundum hunc modum preractum quem hic sequimur 590. Et sic predictum est grande est altercacio de supputacione annorum huius etatis diversi diversimode computant. Sexta etas incipit a Christi nativitate et durat usque ad finem mundi cuius terminum solus deus novit et hec dicitur senectus: sive hora novissima. His autem etatibus potest adiungi septima etas que est quiescencium et currit cum sexta. Et octava etas que est resurgencium. Porro secundum hebreos in prima etate mundi sunt generaciones x. In secunda x. In 3a xiiij. In quarta xvij. quas tamen matheus propter misterium xiiij ponit. In quinta xiiij. Etates autem hominis sunt iste. Prima est Infancia hominis a nativitate hominis usque ad annos vij. Secunda est puericia usque ad annos xiiij. Tercia est adolescencia a 15 anno usque in 28. Quarta est Iuventus usque ad 49. Quinta est senectus a 50 anno usque ad 79. Sexta est decrepita etas ab anno 80 usque dum vita finitur.

[library stamp]